

Fragment of a white label or paper strip on the left edge of the cover.

H

XX
IX

E
18

april. 3-64
1878

56,209 /c

H. XXIX. 5
18



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30417740>

50494

HENR. AVG. WRISBERGII

PHIL. ET MED. DOCT.

MED. ANATOMES ATQVE ART. OBST. IN ACAD. GEORG. AVG.
PROFESSORIS

SOC. REG. SCIENT. GOETT. SODALIS

DISSERTATIO

DE

PRAETERNATURALI ET
RARO INTESTINI RECTI CVM VESICA

VRINARIA COALITV, ET INDE PENDENTE
ANI DEFECTV.

OBSERVATIONIBVS ANATOMICIS
SVPERSTRVCTA.



CVM FIGVRIS.

GOETTINGAE,

apud JONN. CHRISTIAN. DIETERICH.

MDCCLXXIX.

WELLINGTON
THE UNIVERSITY OF
THE MEDICAL FACULTY
DEPARTMENT OF
PHYSIOLOGY
BY
DR. J. H. WELLS
M.B., B.S.
F.R.C.S.
F.R.C.P.
F.R.C.S. (Ed.)
F.R.C.S. (Lond.)
F.R.C.S. (Glasg.)
F.R.C.S. (Dub.)
F.R.C.S. (Ireland)
F.R.C.S. (Australia)
F.R.C.S. (New Zealand)
F.R.C.S. (South Africa)
F.R.C.S. (Canada)
F.R.C.S. (U.S.A.)
F.R.C.S. (Mexico)
F.R.C.S. (Brazil)
F.R.C.S. (Argentina)
F.R.C.S. (Chile)
F.R.C.S. (Peru)
F.R.C.S. (Colombia)
F.R.C.S. (Venezuela)
F.R.C.S. (Cuba)
F.R.C.S. (Haiti)
F.R.C.S. (Dominican Republic)
F.R.C.S. (Puerto Rico)
F.R.C.S. (Curaçao)
F.R.C.S. (Aruba)
F.R.C.S. (Suriname)
F.R.C.S. (Guyana)
F.R.C.S. (Paraguay)
F.R.C.S. (Uruguay)
F.R.C.S. (Bolivia)
F.R.C.S. (Ecuador)
F.R.C.S. (Guatemala)
F.R.C.S. (Belize)
F.R.C.S. (Honduras)
F.R.C.S. (Nicaragua)
F.R.C.S. (Costa Rica)
F.R.C.S. (Panama)
F.R.C.S. (Cuba)
F.R.C.S. (Haiti)
F.R.C.S. (Dominican Republic)
F.R.C.S. (Puerto Rico)
F.R.C.S. (Curaçao)
F.R.C.S. (Aruba)
F.R.C.S. (Suriname)
F.R.C.S. (Guyana)
F.R.C.S. (Paraguay)
F.R.C.S. (Uruguay)
F.R.C.S. (Bolivia)
F.R.C.S. (Ecuador)
F.R.C.S. (Guatemala)
F.R.C.S. (Belize)
F.R.C.S. (Honduras)
F.R.C.S. (Nicaragua)
F.R.C.S. (Costa Rica)
F.R.C.S. (Panama)





§. I.

Nullus sane dies praeterlabitur, nullaque hora anatomicis impenditur occupationibus, quae diligentem et scitu cupidum inciforem novis non divitem reddat veritatibus. Plura revelat exactior ars injiciendi vasa, ubi vel nulla vel pauciora esse antea credidimus: Veriorem truncorum decursum, ramorumque ortum detegit culter, quem vel falsum vel dubium incertumque saltem prior aetas proposuit: In multis partibus nervi vel extricantur novi, vel saltem confirmantur, quas carere iisdem alias alta voce dictum est: Alias

dein constat paucos nervos habere, quae abundare iisdem credebantur. Viscerum ad hunc usque diem nondum satis manifesta fabrica accuratius indagatur, et ad saniores structuram, explosis glandularum in plerisque figmentis, reducitur. Ex indubitatis sensim argumentis nunc asserere incipimus, nullos excretorios ductus in quibusdam visceribus expectari posse, in quibus quaerendis et inveniendis oleum et operam antiquitas perdidit: In aliis e contrario solertius observandi studium luce meridiana clarius ostendit excernentes canales, quos vel dubios certe declaraverunt antecessores nostri nimis creduli, nisi plane ullos existere denegarunt. In genere totum anatomes campum per singulas ejus partes his divitiis talem in modum augeamus et locupletamus, ut sine omni ostentatione asserere possimus, illos, quos semel anatomes dulcis amor penetraverit, tanto fervore tantoque studio eidem incumbere dies noctesque posse, ut quamlibet temporis particulam amissam esse judicent, quam in scrutandis humani corporis thesauris non consumserint.

§. 2.

Haec enarrata momenta jam per se ad commendandam et excellendam practicam anatomen sufficerent; supersunt vero adhuc plures deliciae, quas suis cultoribus incidendi studium subministrat. Jucundo sane spectaculo in morbofis hominum cadaveribus, qui multiplici labe sensim oppressi periere, incredibiles animadvertit incisorum culter transmutationes, quarum mea adversaria farraginem continent. Cerebrorum in tabidum laticem, in hydatides, in lapideas concreciones mutatorum, cum homines isti per magnam vitae partem stupidi, somnolenti, stolidi, mentis saepe non compotes, aut perpetua tandem oblivione, memoriae hebetudine, aut capitis excruciante dolore affecti fuerint. Musculorum quorundam oculi coalitum in cadaveribus hominum vidi, qui durante vita immedicabili strabismo laboraverunt. Concretas obstructas aut indissolubili pulte ob-

obfessas tubas Eustachii observavi, cum aegroti incurabilem conquesti essent audiendi difficultatem. Quot sane mihi theatrum anatomicum exhibuit specimina hominum, qui per maximam vitae suae partem asthmatici, anhelii, aut aliis respirationis vitiis affecti, post mortem scirrhis plenos, pleurae, diaphragmati, pericardioque, accretos pulmones, costas plane osseas et alia ostenderunt. Toties varia hepatis lienisque vitia in cadaveribus vidi, quoties hydrope, ictero, nimia pinguedine homines extinctos secui, ut summa probabilitate ex genio morbi cognito, ad latentem horum viscerum labem concludere illamque praedicere ausus fuerim. Miras saepe animadverterunt mecum observatores intestinorum crassorum et coli praepremis aberrantem tam situm quam structuram et conformationem, cum aegri saepe colica passione, scybalorum aut difficili, aut nimis celeri excretionem excruciantur. Finem non invenirem, si narratione mea omnia complecti vellem, quae sectionum pathologicarum thesauri me docuerunt.

§. 3.

Tertio etiam loco Anatomes deliciae incredibiles saepe offerunt a consueta et naturali partium constructione aberrationes in situ, numero, magnitudine, defectu excessuque conspicuas. Ut pauca tantum tangam, quae praefationi meae inseram, praecipuorum modo mentionem faciam, quae ipse vidi, quaeque partim scriptis meis jam prodita sunt, partim suo adhuc tempore prodibunt. Pertinent huc vasorum nervorumque vix enarrabiles lusus et varietates, ad quas, ut ad naturalem fabricam auditores meos qualibet occasione attentos facere soleo. Viscerum in infimo ventre haerentium per praeternaturalia foramina in alia loca delatorum varia exempla, ut per grandem quendam hiatus diaphragmatis in sinistram thoracem, et per amplissimam in musculis abdominalibus aperturam in saccum funiculi umbilicalis migraverint lien, ventriculus, hepar et maxima inte-

stinorum pars. Renum, in superiore parte in unum semicirculum coalitorum, pelviumque renalium in maximam ampullam mutatarum et ureterum ex pluribus ramis in unum canalem in pelvi demum concretis ortorum, aliquot specimina. Capsularum suprarenalium et glandulae thyreideae in amplum faccum mirificae mutationes, quarum priores in hac hyeme duo habuimus exempla. Intestinorum tam tenuium quam crassorum insolitae appendices, inflexiones, contorsiones, varia longitudo, angustiae. Vesiculae felleae diversa amplitudo et rarissima ab hepate separatio. Uteri in adulta femina exigua moles, alteriusque tubae et ovarii plenarius defectus. Varias eademque rarissimas foetuum tum humanorum tum aliorum animantium monstruositates. Multiplices aperturarum corporis clausurae et obturationes, ut palpebrarum, narium, auris sinistrae, oris, penis, vaginae et *intestini recti*; quem quidem ultimum casum in praesenti speciali tractatione explicaturi sumus.

§. 4.

Equidem me non fugit, vitium illud deficientis aevi aut saltem male conformati, quod infantem neonatum facultate meconium excernendi vel perfecte privat, vel difficiliorem reddit, inter frequentissimos morbos, quibus chirurgia medetur, pertinere, et innumerais fere observationibus passim descriptum esse. a) Mihi vero magnam

a) Taedet quidem multos compilationum laboris, utilitate tamen ac jucunditate minime carentis: suspicionem autem justam movet, scriptori aut plane incognitum mansisse, quid alii eadem de re sciverint, aut elatis superciliiis quaevis spernere ab aliis dicta; neutrum de me credere lectores vellem. Brevem tantum adjeci annotationum recensum, quae mihi sub varia librorum

lectione obvenerunt, in alphabeticum ordinem concinnatarum, ut unum alterumque autorem facilius invenire possit, qui consulere mecum alios voluerit; supersunt multa quae addere ex suis divitii litterariis quilibet poterit. FR. ARAND *Obs. med. Chir.* 4. p. 28. Laboravit puella quatuor a partu mensibus ano clauso et ulcere genitalium indurato; ex inferiore vulvae parte ster-

cora

gnam illorum casuum farraginem, quam, ex insigni autorum variae indolis et pretii copia collegi, paullo accuratius in ordinem reducenti,

cora proveniebant: Incisione anum artefactum paravit, puellamque sanavit. AUBRAI in *Journal de Medec. Chirurgie et Pharm.* Tom. 31. Part. 2. p. 257. Propriam quidem observationem non habet, aliorum vero consilia episcopi docta perlustrat, casus hinc inde occurrentes in 5 Classes ornat, malum plerumque insanabile judicat, et lectione omnino dignus est, BARTHOLIN. *Act. Hafn.* Vol. I. p. 167. Exemplum ani impervii, quod per 24 hor. perpetuam lipothymiam excitavit, operatione sanatum, Clar. BAUX in *Vandermonde Rec. per.* Tom. VIII. mens. Jan. p. 59. in puella 14 ann. nullum ani et genitalium fuit vestigium: omni biduo triduoque praegressa nausea veram materiem faeculentam evomit, et ex mammis saepius de die aqua limpida exiit. Ill. PHIL. AD. BOEHMER *Obs. anat. rar. fasc. II. o. 7. p. 7.* Mediante membrana exitus ani usque ad tertium diem occlusus: acu triquetra aperiebatur, ut meconium exire posset, infans tamen paullo post mortuus, in cujus cadavere meconium in cavo abdominis inventum est. PETR. BORRELLVS *Histor. et Observat. medico-physicarum* Cent. I. Obs. 77. p. 82. Cum aliorum quorundam exemplorum mentionem fecerit, felici operatione sanatorum, proprium casum allegat infausito exitu finitum, et *Cent. III. obs. 9. p. 203.* agnum describit absque podice natum, apertione curatum ut vixerit. Ill. DAUBENTON *Descript. du cab. du roi, T. 3. p. 203.* Intestinum colon in vaginam abibat, quae

etiam cum lotii vesica connectebatur. DUVERNEY *Mem. de l'ac. de Paris* 1706. Beat. HALLERVS *opuscul. Anat. p. 254.* in cane ex molossorum specie colon bifidum in duos loco rectorum intestinorum coecos saccos abiit. LAVR. HEISTERVS *Ephem. Nat. Cur. Cent. IV. o. 193. p. 463.* Quarto die faeces nigrae vomitu rejectae: Anus clausus, sed vestigium cicatrice notabatur. Lanceolam ad profunditatem 4 digitorum sine meconii proventu intrusit: sequenti nocte mortuus infans. Intestinorum crassorum cavitas sese tantum ad supremam offis sacri partem extendit, reliquum erat densa spongiosa substantia, in quibus casibus nullam curationem locum habere recte judicavit, recusa est haec obs. in *Wahrnehmungen I. B. pag. 347.* uti etiam bene de hoc malo agit in *Chirurgia Cap. 163. p. 151.* Ill. JOACH. FRIEDR. HENCKEL in *neuen Med. und Chir. Anmerkungen Vol. I. pag. 11.* In recto, cujus exitus quidem aderat, resistantiam duor. pollicum dilatatione superavit, et infantem sanavit. FABRIC. HILDANVS *Observ. Chir. C. I. o. 75. b.* CAR. FRIED. KALTSCHMIED *Progr. de raro casu, ubi intestinum rectum in vesicam urinariam insertum fuit.* Jenae 1756. Tertio, post partum die vidit puerum ano carentem, frustraneo eventu incisionem tentavit, cum intestini recti limites invenire non potuerit: post octiduum puer mortuus. Intestinum rectum in vesicam super ejus collum insertum est, exigua autem apertura stilum admittente. Aderant

ti, facile apparuit, illam hujus mali classem, ubi *intestinum rectum angustato et extenuato sine in urinariam vesicam insertum est, et foramine ex-*
lissi-

in vesica faeces, quarum portio cum urina exiit: aër ex vesica in rectum, et v. v. transit. Rem satis accurate licet minus venuste depingi curavit. CASP. KOLICHEN apud *Mangelum Biblioth. Chirurg. T. II. pag. 499.* perforata membrana qua ani exitus claudabatur, ut excrementa sequerentur, infantem servare non potuit. Clar. DE LAMARE in *Roux Journ. de Med. T. 33. p. 510.* Infans 6 mensium lac vomitu semper rejiciebat, et per totam vitam nunquam alvum apertam habuit: anum perfecte clausum sectione cruciata aperuit, exhibito oleo amygd. dura scybala excrevit, et sanum usque in quintum annum servavit. SACHSIVS A LOEWENHEIM apud *Mangelum Bib. Ch. T. II. p. 500.* meconium per membranam pellucebat, qua incisa puer sanatus est. PETR. LAUREMBERG *Procrestr. Anat. L. I. C. 16.* vesicae erat insertum rectum. EDUARD. JAC. LUPIN *Histor. morbor. difficil. p. 25.* Quinto die infans ano occluso laborabat, et vomitu stercora ejiciebat: in regione ani parva tantum fovea aderat, perinaeo valde rubro et turgente, quo loco incisio facta et infans sanatus. MANGETVS ipse in *Bibl. Chir. Tom. II. p. 491.* casum recenset pueri absque ani apertura ad quartum diem viventis, cui parcissima per mentulam exiere excrementa: incisio quidem prominentem in locum facta, sed intestinum inveniri non potuit: abdomine hinc mirum in modum expanso, fetus 7. a partu die mortuus est. Cadaver non incisum. FERD. MARTINI *Bey-*

träge zur Verbesserung der Heil-
Kunst, p. 292. Bene monet operationem futuram esse superfluum, si nulum inveniendi intestini indicium sit, infantique mortem instare: Coli vero suadet incisionem eo in loco ubi peritonaeo sinistro latere accretum est. Celeb. MORAND ex relat. Dni. BOIRIE chirurgi in *Mem. de l'ac. r. d. sc. de Paris 1755. p. 50.* Deerat in puero ani apertura, et per mentulam excernebat infans meconium, die 12. mortuus est. In cadavere vidit extremum intestini recti collo vesicae, angustissimo orificio insertum, ut rectum inde ultra triplum esset expansum. Clar. CAR. JOS. OEHME *Diss. de morbis recens natorum chirurgicis, Lips. 1773. p. 52.* bene illud vitium describit. Ill. PETIT *Remarques sur differens vices de conformation de l'anus, que les enfans apportent en naissant. dans les Mem. de l'acad. r. de chir. T. I. P. II. p. 236.* edit. in 8. inter omnes quotquot legi hoc de argumento commentationes elegantissima. RIOLANVS *Enchir. Anat. Cap. 33. p. 220.* ROONHUYSEN *Obs. med. Chir. L. II. O. 2. 3.* BALD. RONSSEVS *Epist. med. 14. p. 45.* FRIEDR. RUYSCH *Advers. Anat. II. p. 43.* Loco ani inveniebatur parvus teres membranofus sacculus, crassitie calami scriptorii scroto adhaerens plenus meconio: rupto sua sponte hoc sacculo, et meconio excreto, paullo post tamen mortuus est. FR. SANCHEZ *Observ. p. 375.* HENR. VON SANDEN *Ephem. Nat. Cur. Dec. III. An. 9. 10. O. 194. p. 364.* Puer ter-

tissimo in eandem patet, non solum paucas modo continere observatio-
nes, sed etiam nimis negligenter descriptas, si anatomicum spectare
volumus argumentum, et fere nulla tolerabili figura expressas.
Eam ob causam operae pretium esse duxi, hac occasione rarum quen-
dam conformationis errorem denuo describere, et picturis ad natu-
ram factis illustrare. Auribus vero sodales benevolis, oculisque se-
cundis me differentem ut excipere velitis, id est quod a Vestro fa-
vore peto rogoque.

Historia morbi.

§. 5.

Puer justo graviditatis termino, partuque plane naturali d. 15.
Dec. 1777. in lucem editus est. Bene vitam suam cum ageret,
respiratione, somno, lactis suctu, urinae excretionem, aliisque functio-
ni-

tertio die propter anum imperforatum
operationem sustinuit, nullo meconio
frequente, altero die mortuus. Recti
intestini viderunt post mortem cum ves-
fica per canalem connexionem: im-
missus aër per membrum virile in ves-
icam ope canalis transiit in rectum et
v. v. rudi figura 38. rem delineavit.
SAVIARD *Nouveau Rec. d'obs. ch.*
O. 3. p. 8. felix operatio. SCHENCK
a GRAFENBERG *Obs. med. rarar.*
edit. Friburg. L. III. O. 228. L. IV.
O. 6. p. 383. SCULTET *Arm. Chir.*
O. 71. TULPIUS *Observ. L. IV. l.*
35. p. 50. CORN. TRIOEN *Obs. med.*
Chir. fascic. p. 59. Puellae ano imper-
forato natae chirurgus cum operatione
non satisfecerit, ut meconii satis ex-
cerneret, tandem obiit, colon ultra 2
libr. liquoris comprehendebat. Clar.

VERNA *Lettera all ill. S. de Haller*
Turin. 1758. in append. intestinum
rectum coeco exitu in cute finem facie-
bat. JOH. WIER *Obs. Med. Lib. I.*
in opp. omnib. p. 444. aliquod reman-
sit vestigium exiguae fissurae liquori
transmittendo idoneae. D. WINCK-
LER in Clar. WEITZ *Neuen Ausz.*
aus Diff. für Wundärzte. 7. B. quin-
to die infans mortuus, coeco sine pro-
pe scrotum rectum intestinum exhibat.
WOLFFSTRIEGEL *Epist. ad Sach-*
sium in Mauget. Bibl. Chir. T. II. p.
493. in infante masculino deformi, loco
ani erat eminentia callosa, et meco-
nium per penem exiit; praeter alias
monstrositates deficiebant quoque mus-
culi ani, tum levatores tum sphincte-
res.

nibus cum frueretur, usque ad 17. Dec. latens vitium tam parentes, quam obstetrix ignorarunt. D. 17. Dec. hor. 10. antem, obstetrix animadvertit, nihil meconii ab infante excretum esse, in causam hujus retentionis inquirens, clausum ani orificium detegit, et curam gessit, ut aulae hannoveranae Chirurgus, et in theatr. anat. professor Dn. KAVFMANN pro ano artificiali parando alliceretur. Invenit Clar. KAVFMANN puerulum clamantem perpetuo, et saepe vomiturientem, dum materiem biliosam spumantem, et mox deglutitum lac rejiceret, interdum verum meconium ore rejecisse adstantes asseruerunt. Abdomen vehementer convellitur et exagitur, et quamvis in reliquo corpore puer bene formatus esset, de ani apertura nullum ipsi apparuit vestigium. Novitate rei permotus casum mihi retulit, atque ut infantem ipsum inspicerem, et consiliis meis eidem succurrerem a me petiit. Talem rerum statum inveni, qualem egregius vir candide mihi narraverat: anus nempe non solum plane deficiebat, sed a raphe scroti per omnem perinaei ambitum ad coccygem et os sacrum usque ne vestigium quidem inveniri poterat, ex quo ad latentem sub cute recti intestini exitum cum aliqua verisimilitudine concludere potuisses: laeva ubique duriuscula et aequalis cutis omnia obtegebat. Pari ratione ut visus nihil ano simile detegeret, tactu etiam, quo partes hac in regione fitas sollicite explorabam, nullam foveam, sinum, aut profunditatem quandam eruere potui. Hucusque per urinae vias nihil meconii excretum erat, de confluxu itaque intestini cum vesica nullam habere poteram suspicionem. Ex consilio meo, ut anum artificialem pararem, incisio facta est in medio loco inter coccygis apicem et scroti raphen. Lente per copiosam pinguedinem procedendo culter ultra pollicis profunditatem frustraneo successu in pelvim demissus est: absque ulla fere sanguinis jactura, et sine notabili dolore infans incisionem sustinuit. Cum vero in toto vulneris ambitu nihil inveniremus, quod ad intestinum viam nobis aperiret, in vulneris etiam profunditate et directione periculum nobis vesicam laedendi immineret, ab ulteriore operationis progressu desti-

timus, aliquantisper expectaturi, quid natura ipsa paullo post ostenderet. Hora 4. post merid. infantem denuo intuemur, multumque meconii una cum lotio excreti linteamina cum continerent, de intestini recti in urinarias vias ingressu nullum dubium supererat, quam ob rem, cum operationem non amplius locum habere putarem, attenti fuimus, qua nunc ratione in posterum natura per hunc inconvenientem locum meconium excretura esset, quare vulnus, in quo nullam factam mutationem observare poteramus, debito modo deligatum est.

§. 6.

Symptomata superius enarrata cum continuarent, abdominis turgescencia eadem maneret, lactisque appetentia, quod huc usque cochleatim instillabatur, minueretur, lac tepidum in urethram injicere consului, cui vero canalis angustia fortiter restitit. Urinae tamen nihilominus excretio de hora in horam pergebat, plerumque meconium parco lotio admixtum fuit. Dedimus ad aliquem stimulum excitandum pauxillum syrapi cujusdam laxantis cum tantillo pulveris radice jalappae remixti. Imminuto autem tum fugendi cum deglutiendi appetitu, infans tam de hoc syrupo, quam de lacte cochleatim instillato parum vel nihil assumpsit. Inquietudo interim pueri sensim emacescens, convulsivi corporis motus, et faeculentae materiae vomitus usque ad diem 22. continuarunt. Sequenti nocte quietior factus, cessantibus omnibus reliquis symptomatibus d. 23. postquam puer molestissimam octo circiter dierum *b)* vitam vixisset, exspiravit.

B 2

§. 7.

b) Vitae duratio pro diversitate mali non una eademque esse potest, quare tot diversique termini apud scriptores observantur, donec diem supremum

subiere infantes, licet operatio tentata fuit. Tertio die misere periit puella, cujus mentionem fecit TRIOEN *l. c.* p. 60. Tertio vel quarto die in Ill.

BÖH-

Summa difficultate a parentibus et consanguineis obtinuimus cadaver incidendi licentiam. Quod enim jam antea hariolatus eram, vitium hujus retentionis in eam classem pertinere, c) ubi intestinum in lotii vesicam intrat, et cum mihi simul cognitum esset, fere unicam b. KALTSCHMIDII de raro hoc casu, excepta illa superius ex VON SANDEN citata, extare delineationem, quae non obstante tam rudi figura, quam manca descriptione, licet vera essent quae dixerit, beato HALLERO placuit, optabam omnino, me facta cadaveris sectione praeparati illius compotem fieri posse, ut de rarissima harum partium praeternaturali conformatione meliores figuras, et descriptionem cum publico communicare possem, quod mihi tandem cum ex voto successerit, meae dissertationi primo loco *statum cada-*

BÖHMERI *exemplo l. c. p. 7.* quarto apud VON SANDEN *Eph. n. c. l. c.* versus quintum HEISTER *l. c. pag. 464.* quinto apud RUYSCH *l. c.* et WEITZ supra. septimo ex MANGETI *relatione p. 497.* octavo, uti apud beat. KALTSCHMIED *pr. cit.* et in nostro casu: duodecimo apud MORANDVM *in Mem. de Paris l. c.* decimo septimo die ex SENNERTO *l. c.* et quinto demum anno referente DE LAMARE *in Roux l. c.* Femellis, quibus rectum intestinum in vagina exiit, non tam cito malum istud funestum esse, easdem vero a vitae periculo minime immunes reddere, praeter alia testimonia confirmat exemplum MINADOI *de Ext. aff. Lib. V. Cap. 18. pag. 27.* quae in sextum annum vixit.

c) In enarrandis modis diversis, quibus turbari potest ani exitus, non omnes conspirant auctores. Tres modos assumit MANGET. *l. c. pag. 499.*

a) Angustiam sive conniventiam intestini: b) Ani clausuram per membranam: et c) coalitum, ob quem atretae vocantur, qua fere in re convenit STORCH *Binderkrankheiten p. 75. seq.* Paulo accuratius casus varios in ordinem redegit, quamvis tres etiam modos assumat, Cel. PETIT *Mem. de Chir. l. c. p. m. 273.* a) Ubi anus in vesicam; b) ubi in vulvam aperitur; et c) ubi tumorem herniae instar formabat. Optimam forsan methodum sequitur Clar. AUBRAI *p. 259.* dum quinque classes constituit, in quas ani male conformati vitia redegit. a) Cum membranae ope clausum sit: b) Dum cutis ipsa super ani aperturam extenditur: c) Si anus non perfecte occlusus est, sed solummodo angustatus, ut difficulter tantum excerni excrementa possint: d) Si rectum in alium locum praeternaturalem aperitur, vesicam e. g. e) Si rectum angustato sine in pelvi definit, absque omni apertura.

cadaveris in genere, fabricam dein affectarum in pelvi partium, et ultimo loco aliquot corollaria inferam.

Sectio cadaveris infantilis ano impervio mortui.

§. 8.

Thoracem non aperuimus, cum partim ad rem inquirendam nihil conferret, partim parentes corpusculi accuratius examen recufarent, ergo solum abdominis cavum examini subiectum est. Praecipua momenta, quae observavi, erant seq.

- 1) Duas libras cum dimidia pondere perdiderat.
- 2) Pro anni temperie, et tempore, quo sectio post mortem instituebatur, cadaver jam multum foetebat.
- 3) Funis frustulum in umbilico residuum, quod alias jam siccum et delapsum esse solet, adhuc restabat, sed putredine corruptum.
- 4) Abdomen elastice expansum lividi coloris *d)* talem in modum tumebat, ut tympaniticus status esse solet, cuilibet pressioni renitens.
- 5) In facie et superiore corporis parte summus marcor apparebat.
- 6) Ex ore et naribus effluebat, vel potius propullulabat spumans flavum et biliosum liquidum.

d) Talem colorem in pluribus casibus annotarunt, ut PETIT *l. c.* p. 238.

Aperto per incisos musculos abdomine,

- 1) Aëre turgida intestina crassa statim prorumpabant cum gangraenoso foetidissimo odore. Haec crassorum expansio ubique eadem erat, in colo transverso autem maxima, etiam ultima ilei pars partim meconio, partim aëre erat expansa. e)
- 2) Ventriculus in summam angustiam et minimam molem erat contractus, tam parvus, ut in embryonibus 4 mensium eum multo majorem amplioremque viderim, simul admodum durus callofusque.
- 3) Paullo amplius est duodenum, et copiosa bile viridissima repletum.
- 4) Amplissimum et grandissimum hepar, totum hypochondrii sinistri cavum replens, et infra ipsum lien exprorectum, ut ligamento quoque cum coli sinistri flexu iliaco coalitum esset. Inferior hepatis superficies gangraena affecta perfecte nigrescit, qualem colorem et lien, duodenum, omenta, mesocolon transversum cum intestino annexo, et ren sinister assumserant. Magna, viridissima bile repleta cystis, ultra marginem hepatis prominebat.
- 5) Maxima intestinorum tenuium pars, a jejuni initio usque ad exiguam ab ingressu in coecum distantiam vacua erat, et tam eleganti ratione contracta, ut non intestinorum tractum, sed longam taeniam per infimum ventrem esse convolutam, crederes. Infima ilei pars meconio fatis repleta, cujus copia in crassis usque ad recti in vesicam ingressum augebatur.

6) Ure-

e) Similem expansionem observavit Ill. БОЕНМЕР l. c. p. 8.

- 6) Ureter sinistri lateris mirum in modum amplificatus, f) sua crassitie et amplitudine per peritoneum eminebat, et in pelvim renalem amplissimam et capacissimam lotio purulento plenam aequali crassitie porrigebatur.
- 7) Rectum intestinum ex flexu iliaco coli sinistri, quod spinae dorsi proxime adiacebat ortum, non uti in statu naturali solet profunde in pelvim demergebatur, sed statim in medio pelvis cavo cum vesica urinaria concretum desinit: quod tamen melius in exemtis ex pelvi visceribus describi poterit.

Exactior disquisitio partium quae in pelvi continebantur.

§. 10.

Infima pelvis regio, os sacrum coccygis et perinaeum respiciens, copioso adipe erat repleta, quod tanto magis mirandum, cum in reliquo corpore quoad maximam partem deficeret. Cum vesica et rectum intestinum eidem insertum versus anteriorem pelvis partem pubem nempe dirigeretur, insigne cavum in posteriore et inferiore pelvi, quod uti dictum est solam pinguedinem continebat, incisio nostra, licet satis profunde penetraverit, eam ob causam meconii receptaculum attingere non potuit, licet, uti postea vidi, lanceolae cuspis usque ad coecum intestini recti locum pervenit. Circa secundam ossis sacri vertebam intestinum rectum suam directionem mutabat, transversim a posterioribus versus anteriora per pelvim incedebat, et cum vesicae urinae parte posteriore et inferiore in unum corpus confluebat. g) Peritoneum, quod super posterius vesicae planum descendens, et versus rectum dum reflectitur, profundam inter vesicam et intestinum patinam efficit, in hoc

f) Aliquantisper expressus Tab. I. e. Tab. II. e. et III. e. in fin. lat.

g) Accurate in omnibus tabulis adjectis depictum.

hoc casu, ex media vesicae parte aequaliter porrectum in rectum transit absque cavea formata.

§. 11.

In exemptis ex cavo pelvis omnibus visceribus, quae tam generationi infervire olim debebant, quam urinae scybalorumque excretioni prospicere, iisdemque sollicitè praeparatis statim animadverti, praeternaturalem hunc recti intestini coalitum cum vesica, partes quidem nonnullas necessarias non destruxisse, ast in compositione et fabrica earundem notabiles quasdam mutationes effecisse. Cum ipsum intestinum rectum primarium hujus deformitatis objectum sit, ejus structura, cum vesica urinaria conjunctio, et deformationes inde pendentes praemittendae sunt.

§. 12.

Videbatur in genere ea crassi intestini pars, quae recti nomen et functiones gerere deberet, nil aliud nisi coli sinistri seu flexus iliaci pars esse, et verum rectum deficere. Nam fasciae illae longitudinales in colo consuetae, distincte in hoc intestini frustulo ad angustatum finem continuabantur, quae in vero recto in latam crassamque tunicam muscularem alias mutantur; De hac vero tunica musculari in universo intestini ambitu, si finem exceperis, nullum adfuit vestigium. Ex summa amplitudine, quam servabat rectum intestinum dum vesicam attigerat, in media vesicae parte subito in conicam angustiam extenuatur, et cum posteriore cystidis parte arctius connectitur: Sensim adhuc angustius factum, inter vesiculas feminales sese abscondit, jam inter tunicas vesicae et prostatae carnes receptum, eo praecise in loco in vesicam intrat, ubi ureteres cystidem petunt, exilissimo foramine tandem, quod vix aciculae caputmitteret, in cavo vesica aperiebatur, h) ex quo, pressione intestini, parumper meconii prodibat.

Muscu-

h) Tab. III. o.

Musculi partium concretarum.

§. 13.

Ut in aliis hujus systematis partibus ille recti et urethrae coali-
tus varia a consueta fabrica mutavit, ita musculi quasdam passi sunt
mutationes, quarum in completa descriptione ratio omnino habenda
est. Sunt vero harum partium musculi, *Levatores ani, coccygaei,*
Transversales perinaei; Sphincteres tam externus quam internus, *Ischio-*
cavernosi et *Bulbocavernosus*, *Cremasteres*, et stratum fibrarum muscu-
larium, huc usque nondum satis cognitum, quod ex perinaeo mem-
branae Dartos admiscetur. In genere de his enarratis musculis dici
potest, quod alii plane deficient, ut *Sphincter internus*, et *Levator*,
de quibus ne vestigium quidem in extenuato et in urethram finito in-
testino invenire potui: alii insignem in modum mutati, ut *Sphincter*
externus et *Bulbocavernosus*: alii naturalem conformationem retinue-
rint, ut *Cremasteres*, *Ischiocavernosi*, *Transversalis*. De omnibus
itaque recensero quae annotavi, quaeque partim in figuris exprimi
simul potuerunt, partim verbis tantummodo explicari.

§. 14.

Dixi de Sphinctere interno nullum adfuisse vestigium: Cum
enim diligenter in hujus musculi structuram inquirerem, loco ejus-
dem in infimo recti intestini sine, ubi collo vesicae committitur, cras-
siusculum quoddam fibrarum muscularium stratum ab ultimo limite
oritur, et super vesiculas feminales in posteriore superficie expandi-
tur, ut ipsae vesiculae hac musculari tunica tegantur, versus late-
rales regiones etiam ductus deferentes obducit, et in anteriore inte-
stini plano cum tunica musculari vesicae confunditur, et in eadem
evanescit. Ea vero hujus tunicae pars, quae posteriorem et inferio-
rem intestini regionem vestit, super prostatam ducebatur, et tener-
rimas fibrillulas urethrae principio impertiebat.

C

§. 15.

§. 15.

In musculis ischiocavernosis seu erectoribus nullam memorabilem mutationem observavi, *bulbocavernosi* vero et *sphincteris externi* fabrica a naturali recedebant. Tenui nempe principio ex infima ossis sacri vertebra oriebatur sphincter, acclivi ascensu versus urethram tendens fibras paullo magis expandit, *i)* et in duplicem fasciculum dehiscit, quorum alter versus urethrae principium reflectitur, alter ad inferiora descendit, et multis fibrillis super darton distribuitur. Ex medio duplicis hujus fasciculi hiatus ortum ducit *Bulbocavernosus* s. *Accelerator*, *k)* qui quadruplici fasciculo spirali directione urethrae bulbum amplectebatur. Levatorum pariter nullum vestigium inpererat, nec in ipsis ossibus ex quibus oriri solent.

Reliquarum partium structura.

§. 16.

Ex amplissima renis sinistri pelvi, qui copiosa urina ad crepaturam usque distenta, et sphacelo tota correpta erat, descendebat versus vesicam grandis et pari amplitudine praeditus ureter: triplo amplior dextro. *l)* Causam hujus praeternaturalis expansionis incisa paullo post cystide vidimus, caeco enim fine hic ureter vesicam petebat, omne itaque lotium pelvis ejusque ureter retinuerant, quod durante graviditate in rene sinistro secretum erat.

§. 17.

Vesicularum feminalium situs a naturali fabrica etiam aberrabat, cum enim alias inter cystidem et rectum locentur, nunc exte-
rio-

i) Tab. I. i.*l)* Tab. I. e. II. e.*k)* Tab. I. h.

riorem extenuati intestini locum occupabant, copiosa pelvis pinguedine obvolutae. Idem de prostata valebat. De exiguo foramine, quo meconium ex recto in vesicam pressione exibat, superius jam dictum est.

Corollaria.

§. 18.

1) Duplex malum huic infanti necem minatum est: *ureteris sinistri occlusio, et recti intestini incongruus exitus.* Prioris vitii sequelas jam in ipso cadavere conspeximus, dum lividi gangraenosique hepatis, lienis, omenti, mesocoli, et renis sinistri mentionem fecimus (§. 9. nro. 4.) Qui porro consideraverit, quales mutationes, quantaque mala ex retentione debitae et necessariae scybalorum et urinae excretionis jam observata sint, *m)* lethalem hujus vitii exitum facile intelliget, et si id cum sodalio alterius deformitatis non junctum fuisset.

2) Inter varias classes vel plane deficientis vel male siti exitus intestini recti, quarum autores passim mentionem fecerunt, haec, quae rectum cum lotii cystide conjungit, ita comparata est, ut par-

C 2

tim

m) Speciminis loco aliquot tantum exempla afferam. Ex beat. HALLERI autopsia refert Illustris ZIMMERMANN von der Erfahrung in d. N. 2. Th. pag. 151. daß unter den Ballisern einer crepirte, der seine Nothdurft nicht verrichten wollte, und dessen Afterdarm auf eine übernatürliche Art bis auf $1\frac{1}{2}$ Schuh erweitert war. Cellin in Braunschweigischen Anz. vom Jahr 1754. 7. St. p. 121. memorabilis mentionem fecit hydropici ultra 80 libras aquae comprehendentis,

cui ureteres in vesica plane occlusi erant. Ipse vidi tristem viri septuaginta annorum mortem, qui ultra decem dies ne guttulam urinae excernere poterat, cathetere auxilium non praebente, et medicis puncturam recusantibus, fato cessit: Nimis grandis et indurata prostata urethram obturabat, vesicam plus quam 5 librarum urinae continebat, in pectore, abdomine, quin in ipso cerebro, lotii odor percipi poterat, ureteres et pelves renales expansae, omniaque gangraena corrupta.

tim rarioribus casibus annumeranda, *n*) partim respectu medelae difficilis, quin insanabilis censenda sit. *o*) Mirari sane debemus, modum, quo natura in jungendis binis excretionum viis in quibusdam animalibus *p*) cum salute utitur, in aliis periculo plenissimum esse, dum ingressus ratio invertitur.

Singulare est omnino, plerisque fere exemplis, ubi natura hanc illamque functionem carente organi iusta conformatione exercere definit, quasdam alias partes plerumque vel deficere, vel aliis magnas mutationes impertivisse. Deerant itaque levatores ani et sphincter internus, *q*) ad quorum itaque conformationem recti intestini ad

n) Sive compilatorum ut STORCHII et SCHVRIGII catalogos perlustrare, sive propriae lectioni fidem habere volumus, numerus horum casuum longe minor est, quam aliarum classium. Comparanti enim ex nostro recensu nota *a*. dato, proportio observationum meo cum casu conspirantium, inter quas praecipue eminent van SANDEN, KALTSCHMIEDII, MORANDI, HILDANI, LAUREMBERGII, ROONHUYSEN, SCHENCKII, ad integrum vitiorum ani numerum esse uti 7 ad 41.

o) Afferti nostri veritas partim ex eo patet, quod nullus illorum foetuum, in quibus rectum intestinum cum vesica conjunctum fuit, convaluit, licet in plerisque operatio instituta esset, partim peritissimi viri funestum praefagiere exitum, ut HEISTERVS *Eph. nat. Cur. l. c. p. 465.* PETIT *l. c. p. 238. et 245.* MARTINI *l. c. p. 292.* Bene enim monuit Ill. PÉTIT, duo chirurgo observanda esse, qui operationem instituere vult, *a*) faecibus exitum parare, sed *b*) illum ita parare, ut per idoneum locum semper et iusto

tempore excerni possint, ne nempe involuntaria ratione in locum incongruum exeant, quod malum morte ipsa pejus agnovit. Anne vero quibusdam in casibus, ubi parentibus multum interesse potest, ut per aliquod tempus vita conservetur infantis, consilium Clar. MARTINI *l. c. p. 293.* adhiberi possit, colon sinistrum incidendi, et anum hoc modo artificialem parandi, id aliis ad dijudicandum relinquo; mihi quidem humanitati nimis conforme esse videtur, operationem instituere qualiscunque fit, dummodo aliquam spem alat, quam sine omni auxilio certae morti infantem tradere.

p) Notum est in plerisque volucris vesicam in rectum intestinum hiarere et cloacam ita dictam inde fieri, beat. ALBINVS in *Annot. Acad. Lib. III. p. 69.* Ill. BUFFON *Hist. nat. T. X. p. 5.* Rarissimis in casibus tale quid in quadrupedibus sine noxia sequela observatum fuit.

q) Similem levatorum et sphincterum defectum annotavit WOLFSTRIEGEL apud MANGETVM *l. c.*

ad anum productio requirebatur. Mutabantur inde sphincter externus et accelerator, cum illi rectum intestinum deesset, circa quod commode duci, et ad formandam originem bulbo cavernosi jungi ejusdem fasciculi possent. Axioma ergo, cum in aliis corporis humani locis similes deprehendamus mutationes, inde confirmatur, vitium unius partis aliarum ut plurimum secum conjungere.

Figurarum Explicatio.

TAB. I.

Sistit viscera pelvis exenta et praeparata, quomodo lateraliter visa et in situ parumper proclivi apparuerint.

- A. Intestinum rectum sensim conice angustatum, meconio turgens.
- B. Locus ille ubi extenuatum et in conum contractum intestinum ureteres inter et vesiculas feminales collo vesicae inferitur.
 - a. Arteria umbilicalis sinistra versus umbilicum tendens.
 - b. Peritoneum a posteriore vesicae urinariae plano solutum, et super anteriorem recti superficiem reflexum.
 - c. Ductus deferens sinister.
 - d. Vesicula feminalis ejusdem lateris.
 - e. Ureter, pro ratione aetatis nimis expansus, eam ob causam versus inferiora reclinatus, ut recti intestini in vesicam ingressus melius distingui possit.
- C. Vesica urinaria naturali longitudine expressa, qua in foetibus conspicitur.
- f. Urachus tenui filamentum ad umbilicum ascendens.

D. Urethrae principium.

C 3

E. Pe-

- E. Penis cute nudus, cujus corpora cavernosa g. ad supèriora reflexa sunt.
- h. Musculus Bulbocavernosus seu Accelerator urinae, turbine fibrarum suarum muscularium in hoc cadavere conspicuus.
- i. Sphincter ani externus.
- k. Fasciculus musculosus fibrarum, ex sphinctere ani externo in darton abiens.
- F. Scrotum testiculos continens, cutis reclinata est, ut dartos membrana cum suis vasis visibilis redderetur, cui immiscebatur stratum fibrarum muscularium k. ex sphinctere ani externo ortum.
- l. Funiculus vasorum spermaticorum.

TAB. II.

Repraesentat eadem viscera ex parte posteriore conspicua.

- A. Intest. rectum.
- B. Transitus recti in vesicam.
- c. Ductus deferentes.
- d. Vesiculae feminales utriusque lateris.
- e. Bini ureteres.
- C. Vesica lotii.
- X. Prostata.
- D. Urethra f. potius Isthmus nimis longus.
- Y. Bulbus urethrae, quo in loco penis ortum cepit.
- F. Scrotum.
- l. Funiculi spermatici.

TAB.

TAB. III.

Descriptarum et in praecedentibus tabulis delineatarum partium anteriorem faciem offert, cum aperta urinaria cystide, ut recti intestini in eandem hiantis apertura exigua conspici possit.

A. Intestinum rectum.

Z. Vasa umbilicum petentia; quorum

v. Vena umbilicalis.

a. Arteriae umbilicales.

u. Ligamentum ex vesica urinaria versus umbilicum ductum, quod

f. Urachum comprehendit.

e. Uterque ureter.

C. Vesica urinaria ex anteriore parte aperta, ut internam faciem intueri possimus: in qua

o. exiguum est orificium, quo rectum intestinum in vesicam aperitur.

D. Urethra.

E. Penis.







